

Colloquium VII^{mum}.

Continuatio portarum.

NARCISSUS et ONUPHRIUS.

N. **A**udivistine heri Leonhardum & Martinum colloquentes inter se de portis urbis nostræ tam majoribus, quam minoribus? *O.* Percepi & numerum & nomina earum. *N.* Nonne advertisti, eos quasdam recensendas oblitos fuisse? *O.* Non observavi, neque jam earum recordor. *N.* Addam igitur, si placet, supplementi loco. *O.* Placet. *N.* Annon porta nocturna tibi cognita, quæ noctis tempore vel adventantibus, vel peregre proficiscentibus soluto telonio aperitur, quæque germanico sermone *der Einlaß* vocatur. *O.* Nunc mihi succurrit. Sed hæc unica est, cujus lapsu memoriæ non mentionem fecerunt. *N.* Erras, mi amice, adsunt enim tres adhuc portæ intra mœnia, suburbia claudentes, nimirum porta Cruciana:
porta